adeo pauper factus est fuit, quod tribus equis contentus, tamen modico tempore cognatorum hospicio et solacio fueretur. Tandem omnipotens Deus, qui iustum numquam derelinquit, sed postquam suum fidelissimum principem deiecit, gloriosius expost ejusdem victoria triumphali contra Swevos suos inimicos sublimavit. Nam rex Adolfus de Nassow commisit terram Missnensem et Orientalem patruo suo et abiit in partes suas Reni. Videns autem Fredericus marchio, quod rex nichil sibi de patrimonio suo restitueret, cum tamen plurima dona sibi promisisset, associatis sibi bonis sociis nocte quadam castrum firmissimum Rochelitz silencio intravit per murum atque cunctos Regnenses et Swevos inibi captivavit; sic aliquantisper refrigeratus quadam die, dum comes de Nassaw de Dobelin in Ossatzt equitare cum suis vellet, marchio Fredericus cum fratre suo Titzmanno marchione Lusacie insidias latentes cum pluribus armatis in quodam rubeto habentes comite de Nassow propinquante, de insidiis viriliter surgunt, comitem cum viginti militaribus captivarunt captumque in castro Rochelitz cum suis detinuerunt et statim in carceribus coegerunt illum restituere castrum Lichtenwalde et civitates Dobelin, Gieran et Bornis; quibus rehabitis nichilominus comitem in vinculis detinentes eventum rei expectabant. Comite siquidem in vinculis existente, rex Adolfus electus, patruus suus, interfectus fuit et electus fuit in regem Romanorum Albertus dux Austrie, qui eundem Adolfum interfecit. Ad quem Fredericus marchio accedens pro benivolencia captanda,

derelinq. — derelinquit
m/ Missn
naſzaw
+ f. CCLXIXa
luſzacie
cf. 2 c. 1 st.
Comes de Nassow cum suis captivatur.
gieran
borius (Bornis, cis.2)
Adolfus interfectus fuit.
Albertus dux Austrie eligitur in regem Romanorum.